

228

226

232

tibus lucis adeo pulcher atque admirabilis se intuentibus aperitur,
ut mentes admiratione consternat, qui cum et assuefactos non
satiet, per descensum unicum et angustum atque asperum MD
passuum inter amoenas umbras et opaca silvarum rivis hinc inde
quoddam agreste sonantibus. Ast ubi in finem descensum est,
specus apparel alter, verum cymbalorum sonus terret adeuntes
ingressu primo, et aliquamdiu spectabilis incidenti fit obscurior,
et ingentis amnis se extollentis frons aspicitur, qui ubi parvo
cursu maximum demonstravit impetum, conditur intra spatium
horribile et incognitum angustumque, adeo ut a diis habitari ve-
teres credidere. Alius demum specus est, quem Thyphonem
vocant, angusto ore pressus et assidua nocte suffusus, eum-
que dicunt Typhonis fuisse cubile gigantis, qui fratrem Apim,
maritum Isidis, laniavit membratim et Jovi bellum intulit.

Igitur in aulone Cilicio laborantes per totam noctem conatum
ad partem sinistram fecimus, ut in Cyprum navigaremus, et satis
bonum ventum habuimus per angustias Ciliciae.

Die septima lucente vidimus Cyprum, et ultra modum laetati
sumus, quia in multis mensibus non vidimus Christianorum regionem
aliquam usque modo. Processimus ergo contra insulam, et gyranter
Paphum, portum Cypri vetustissimum, ingressi sumus et anchoras
ejecimus stabiliimusque naves et necessaria ibi comparavimus.
Sed et ecclesias Christi adhuc ibi stantes ingressi sumus, et ado-
rato Domino ac necessariis comparatis in barcis regressi sumus
in galeam.

Insula insignis Cyprus.

(149 a) Cyprus insula nunc describenda venit. Hanc rapuit mare
Syriae, cui olim dicitur juncta fuisse, et proprium effecit regnum, ut
patet Parte I. fol. 78B. Haec insula quondam dicebatur Cethim, a
quodam Cethim dicto, nepote Japhet, filio Noae, secundum Isidem.
Sed et Cerasim olim dicta est, deinde Apelia, et post hoc Ama-
thusa et Macara, Cripton et Culmia; nunc autem Cyprus dicitur
a prima ejus civitate, quae Paphum nominatur, ut patebit. Haec
regio ab oriente cingitur mari Syriaco, quod Mesicum sinum vo-
cant; ab occidente mari Pamphilico sive Carpatico; a septentrione
aulone Cilico; a meridie Syriae et Phoenicis pelago.

Ende

Anfang